

fit, et iudici exhibetur, falsa est, justeque a me negari potest in genere. Ita discurre Covarruvias. Idem tenet Jason in l. *Manifeste*. n. 7, ff. *de Jurejur.* ubi de hoc ipso casu loquens, post Imolam, et Geminianum, et alios concedit posse me jurare, quod mihi nihil mutasti; nempe, ex quo tibi debitor sim, prout nunc allegas in iudicio. Sylvester §. *Juramentum*. 3, q. 2, circa fin. et Navarrus, cap. XII *Manual.* n. 19, istud exemplificantes de interrogato tempore pestis a custodibus civitatis, num veniat ex tali loco, quem falso existimat esse peste infectum; nam, si novit locum illum a peste penitus esse immunem, tunc potest dicere ac jurare se inde non venire referendo se ad principalem intentionem illorum custodum, juxta quam de mandato magistratus eum interrogare debent: quamvis Fagnanus in c. *Falsidicus*. n. 36, 43 et seqq. *de Crimine falsi*, dum restrictiones mentales ex professo, ac fusius impugnat, hoc ultimum exemplum, una cum aliis similibus, falsitatis arguat; cujus præcipuum fundamentum loco objectionum ponetur, ac solvetur absque eo, ut restrictiones mentales propugnentur.

173. *Eaque pluribus probatur.* — Ratio principalis datæ conclusionis est: quia in tali negatione, vel juramento, nulla a parte rei intervenit falsitas; ergo nec mendacium, vel perjurium. Antecedens partim patet ex dictis, partim ulterius sic declaratur. Quia interrogatus, vel adjuratus, non tenetur attendere verba nude seu materialiter spectata ipsius interrogantis, seu adjuvantis, sed potius ad ejus intentionem et mentem: « Quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem: quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni: » prout loquitur divus Gregorius papa, relatus can. *Humanæ aures*, 22, q. 5, et c. *Intelligentia*. 6, *de Verb. signif.* Atqui interrogatus a iudice ex præsumptione falsa delicti, vel debiti, si respondeat negando propositionem, utpote falsam in sensu ab actore, vel iudice principaliter intento, sic attendit non ad verba nude prolata, sed ad intentionem iudicis interrogantis; ergo.

174. *Eaque pluribus probatur.* — Confirmatur. Quia, licet juste interrogatus a iudice teneatur veritatem aperire; secus tamen est si interrogetur injuste, ac non servato juris ordine, ut dictum n. 154, et seqq. Atqui stante illa præsumptione falsa, revera interrogatur quis injuste; ergo. Minor probatur;

quia crimen necdum est semiplene probatum; cum revera non contigerit, sed falsa dumtaxat ejus præsumptio habeatur. Accedit, quod stante præsumptione falsa iudex non intendat, neque percipere possit, ut reus ad factam interrogationem, prout jacet, absolute respondeat; ergo nec reus tenetur ita respondere. Antecedens declaratur in exemplo, per Lugonem n. 171, adducto, de Titio egrediente domum stricto inse: si enim iudex sciret veritatem, ac Titii innocentiam, certum est, quod Titium de illo egressu non interrogaret, imo nec interrogare posset: tum ne hunc injuste diffamaret, imponendo ipsi innocenti grave crimen: tum ne viam sterneret ad injustam ejus condemnationem, qualis ex gravi præsumptione, licet a parte rei falsa, contra Titium facile sequeretur, si absolute concederet, se ex tali domo, et tali tempore, stricto ense egressum fuisse. Tacentur aliæ probationes, quarum plures adducit Navarrus in cit. can. *Humanæ aures*, 22, q. 5, per totam quæst. 1 et 2, solvens simul contraria.

175. *In foro tamen externo est procedendum juxta exigentiam præsumptionis.* — Additur notanter in conclusione « quantum attinet forum conscientiae. » siquidem in foro externo procedendum est juxta exigentiam, et gravitatem præsumptionis, resultantis v. g. ex propria significatione verborum, donec contrarium probetur. Nam, ut sanctus Gregorius papa in cit. can. *Humanæ aures*, 22, q. 5, loquitur: « Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. » Et quod iudices in iudicando teneantur procedere secundum leges in præsumptione fundatas, uberius dictum est lib. I, tit. II, *De Constitutionibus*, § 7, n. 163 et seqq. ubi plura de hoc. Quanquam tunc non interroget iudex iudice, nisi ex præsumptione: si enim veritatem sciret, non posset interrogare, ut proxime dictum, ac notat Lugo, cit. disp. 40, sect. 1, n. 4.

176. *Solvuntur objectiones.* — Objicitur primo contra datam, num. 172, conclusionem. Ille mentitur, « qui aliud cogitat mente, quam ore proferat, » ut inquit Glossa in can. *Is autem*, 22, q. 2. §. *Instituta*, juncto textu ibid.; nam in dissonantia verborum ab intentione, consistit ratio formalis mendacii, can. *Homines*, ead. caus. 21, q. 2, ubi proin subjungitur: « Ream linguam non facit, nisi mens rea, » videlicet aliud putans, quam

dicit lingua. Hinc can. *Humanæ aures*, 22, q. 5, notanter dicitur: « Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant. Divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur; » cum concordantiis. Atqui in casibus in conclusione positis, aliud quis cogitat mente, quam ore profert; quia affirmat, v. g. se non promisisse matrimonium, quod scit se verbis promisisse; ergo data conclusio ne quidem pro foro conscientiae procedit. Resp. cum Navarro in cit. *Commentario*, can. *Humanæ aures*, etc. q. 2, n. 13, negand. min. Quinimo sic respondens mente cogitabat, ac sciebat se non promisisse matrimonium, cum illud (uti supponitur) dumtaxat fecte promisisset. Quanquam per hoc non negetur, quin ita fecte promittens teneatur puellæ deceptæ ad recompensationem omnis damni inde subsecuti, utpote cujus fraudulenta sua promissione fuit causa, et quidem injusta: neque hinc excusentur alia peccata, si quæ forsitan talem responsionem comitentur.

177. *Juramentum est interpretandum juxta mentem recipientis.* — Urgebis. Juramentum in foro animæ est interpretandum juxta intentionem recipientis: nam, ut can. *Quacumque arte*, 22, q. 5, dicitur: « Quacumque arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit, » etc. Concordat sanctus Hieronymus can. *Quoties*, ead. 22, q. 5, relatus, dum inquit: « Quoties vero loquimur, aut non in tempore, aut importuno loco, aut non ut convenit audientibus: toties sermo malus procedit de ore nostro, » etc. Atqui responsiones illæ, de quibus in conclusione, non conveniunt audientibus, utpote veram earum significationem, atque intellectum non percipientibus; ergo. Resp. primo, opponendo can. *Humanæ aures*, 22, q. 5, supra n. 173, jam relatum, juncto c. *Intelligentia*, 6, *de Verb. signif.* ubi dicitur: « Intelligentia ditorum ex causis est assumenda dicendi: qui non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. » Atqui responsiones in conclusione relatæ dantur, et quidem veridice, juxta causas dicendi; nempe juxta eas, ex quibus iudex interrogavit, et alter respondere debuit: et consequenter juxta has intelligentia talium ditorum est desumenda.

178. *Et quando? Respondere an, et quando quis teneatur juxta mentem interrogantis?* — Respondetur secundo cum Navarro, ubi

supra, quæst. 2, n. 13, quod quidem regulariter teneatur quis respondere interroganti, seu adjuranti, juxta mentem seu intentionem ipsius; sed fallit, quando alia mente, quam debet, quis interrogatur, seu adjuratur; quia tunc sufficit, quod respondeat secundum eam mentem, seu intentionem, qua debet interrogari seu adjurari, modo verum respondeat. Hoc autem contingit in casibus, de quibus in conclusione, prout uberius est declaratum in ejus probationibus. Tacentur nonnullæ aliæ hujusmodi instantiæ, de quibus fuse Navarrus loc. cit. quæst. 1 et 2, ponendo solutionem pro singulis, quæ tamen ex præmissis facile desumi poterit.

179. *Referuntur tres propositiones Innocentii XI, quibus damnantur restrictiones mentales.* — Objicitur ulterius. Præmissa conclusio repugnat novissimo decreto Innocentii XI, anno 1679, die 11 martii emanato, atque usum restrictionum mentalium, et amphibologiarum expresse damnanti; ergo. Antecedens probatur ex propositione 26, et duabus sequentibus ibidem damnatis, quæ ita sonant: « 26. Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. 27. Causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa. 28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. » Hæc, inquam, tres propositiones sunt damnatæ, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ doceri prohibitæ; ergo idem videtur dicendum de data conclusione, utpote concedente quamdam restrictionem mentalem, vel amphibologiam, et quidem juramento firmatam. Resp. neg. anteced. cum suæ probationis consequentia. Nam, ut notanter additur in præmio dicti decreti, propositiones in eodem contentæ damnantur ibidem, « ut jacent. » Conclusio autem nihil habet commune cum

ipsis, « ut jacent. » Quod ut melius intelligatur,

180. *Amphibologia, quid, et qualiter contingat?* — Notandum, quod amphibologia vi nominis idem sit, ac « dubium dictum, » sive sermo dubiam sententiam indicans, prout explicat Calepinus, *v. Amphibologia*: ubi pro exemplo ponit illud: « Aio te, *Æacida*, Romanos vincere posse. » Item: « Cato injuste criminatur. » Incertum enim relinquitur, an Cato alium criminetur, vel ipse ab alio: an Romani vincere possint *Æacidam*, vel iste Romanos. Hinc alii inquirunt, quod amphibologia sit ambiguitas vocis ad sensum plurium rerum accommodabilis. Et hæc imprimis accedit adhibendo verba æquivoca, quibus loquens utitur in uno sensu; quamvis audiens eadem intelligat in altero sensu. Exemplum hujus habetur *Tobia*, *v. 18*, ubi Raphael angelus dixit: *Ego sum Azarias, Ananias magni filius*: nam verba illa *Azarias, Ananias*, possunt duo significare; nempe personam humanam (in quo sensu intelligebantur a Tobia) et rem specialem: nam *Azarias* interpretatur *Auxilium Domini*; et *Ananias* idem est, ac *Nubes Domini*. Quia igitur *Nubes*, juxta sanctum Ambrosium, *serm. 61*, significat Patrem æternum, hinc sermo ille talem sensum mysticum, a Raphael archangelo intentum, reddebat: *Ego sum auxilium Domini*, sive auxiliator a Deo missus, *Æterni Patris filius*, videlicet adoptivus. Aliud hujus exemplum ponit Glossa magna in can. *Ne quis*, 22, q. 2, deserviens ad caute deludendum interrogantem, nam Titius ad mortem quæsitus, sit domi, per æquivocationem dicendo: *Non est hic*, id est, *Non comedit hic*. Huc accedit illud dictum negantis, se occidisse Gallum, intelligendo istud de gallo gallinaceo, non de Gallo homine; vel e contra si quem horum forsitan occidisset. Aut viri pii in convivio invitati ad esum ciborum delicatiorum, vel potum nobilioris vini, et dicentis, eum sibi nocere: intelligendo hoc suum dictum mystice, pro noxamento videlicet profectus spiritualis, etsi corpori non noceret. Tacentur innumera alia his similia.

181. *Amphibologia, quid, et qualiter contingat?* — Deinde contingit amphibologia, quando verba ex sua significatione non sunt ambigua, nec æquivoca; sed tamen attentis circumstantiis loci, temporis et personæ, emittantur ad aliud significatum. Joan. Cardenas in *Crisi theologica, ad Propositiones ab*

Innocentio XI damnatas, dissertat., cap. iv, n. 36 et seqq., istud declarans exemplo S. P. N. Francisci, qui cum latrones quidam transiissent illa via, interrogatus a ministris justitiæ ipsos persequentibus, an illæc transiissent, mittens manus in manicas, respondit: « Non transierunt hæc. » Aliud exemplum affert idem Cardenas n. 39, de Christo Domino, qui interrogatus a discipulis de tempore adventus sui, et consummationis sæculi, *Matth.*, xxiv, 36, et Marci xlv, 32, respondit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater*. Quia, licet Christus, etiam ut homo, diem illum sciverit; non tamen scivit eum cum scientia illa, quæ utilis esset ad respondendum in hisce circumstantiis, nempe ut eum manifestaret discipulis interrogantibus. Simile talis amphibologiæ exemplum desumit Patrius Sporer tom. III *Theolog., moral.* tract. III, in 2. *Præcept. Decalog.* cap. I, sect. 3, n. 406, ex illo Salvatoris effato, *Joan.* vii, 8, dicentis: *Non ascendam ad diem festum*: cum tamen postea ascenderit, *non manifeste, sed quasi in occulto*. Siquidem verba illa, absque alia restrictione mentali, veritatem habebant ex circumstantia mentis eorum, quibuscum Christus loquebatur: nam fratres, sive cognati ipsius, dixerant Christo, ut pergeret in Judæam, et quæreret palam esse, manifestando se ipsum mundo per miracula; et hoc modo æterna Veritas negavit se ascensurum, etsi postea ascenderit *quasi in occulto*, prout loquitur sacer textus. Tacentur similia, de quibus auctores proxime citati, et Joan. Maria Sbogar in *Theologia radicali*, tract. IX, cap. un. n. 9 et seqq., ac alii.

182. *Restrictio mentalis, quæ?* — E contra per restrictionem mentalem intelligitur purus conceptus mentis, qui nullo modo concordat cum verbis ore tenus prolatis. Unde fit, quod ejusmodi conceptus mentis, per restrictionem mentalem intentus, præter loquentem non possit ab alio audiente percipi. Hujus exempla referuntur in citata propositione 26, per Innocentium XI damnata; quamvis et ista dicantur amphibologiæ in propositione 29, itidem damnata, ut liquet ex earum verbis num. 176 allegatis: sed hoc accedit, sumendo amphibologiam in sensu largiori.

183. *Præmissa sententia negativa nihil habet commune cum illis propositionibus damnatis.* — His prænotatis patet, quod conclusio n. 172 data, nihil habeat commune cum propositionibus damnatis, ac n. 176 relatis. Ibi enim

solum damnantur restrictione mentales, seu amphibologiæ, quæ fiunt per restrictionem mentalem, addendo verbis aliquid sola mente retentum. Joan. Cardenas cit. dissertat. 19, cap. iv, n. 35; Patrius Sporer loc. cit. n. 104, et seqq.; Joan. Maria Sbogar, ubi supra, n. 18. Talis autem non est illa, de qua fit mentio in dicta conclusione: cum ibidem relata responsio negativa nihil addat sola mente retentum, quinimo correspondeat menti actoris, et judicis interrogantis; prout jam supra ostensum, et confirmant exempla n. 174 et 172 adducta.

184. *Sine causa non est licitum uti amphibologia.* — Accedit, quod hic interveniat justa causa utendi tali amphibologia, ne videlicet alioqui innocens ex presumptione falsa delicti, vel debiti, injuste condemnatur: nam quod sine causa non sit licitum uti amphibologiis (ac multo minus, ubi immineret injuria, vel dolus tertio) patet ex illo evangelico, *Matth.*, v, 37, ubi Christus veram simplicitatem in loquendo commendans, præcepisse legitur: *Sit autem sermo vester, Est est, Non non*, cum similibus. Accedit, quod uti ratione ambigua sine justa causa, sit abusus communis loquelæ contra virtutem veritatis: simulque usus amphibologiarum, cessante alia justa causa frequentatus, præberet multiplicem deceptionem hominum, sicque repugnat communi bono societatis humanæ; ac proinde est peccatum, licet proprie non sit mendacium. Lessius, lib. II *de Justit. et jur.* cap. xlii, n. 48; Sporar, loc. cit. n. 104 et 108, et communis aliorum.

§ VIII.

DE POSITIONIBUS, ARTICULIS, ET INTERROGATORIIS.

185. *Cur de istis hoc loco agatur?* — Quia compilerator juris canonici cap. I et II, *de Confessis*, in 6, ex professo tractat de positionibus; eo quod hæc plurimum deserviant ad eruendam partium confessionem; merito ad finem præsentis tituli agimus etiam de positionibus. Occasione quarum simul fiet mentio quædam de articulis, et interrogatoriis, ad ostendendam harum a positionibus differentiam. Unde

186. *Positiones, ad quid sint inventæ?* — Quæritur I. Ad quid inventæ sint positiones, quidque sint? Resp. I. De positionibus frequens fit mentio in jure, uti patebit ex juribus in progressu citandis. Siquidem praxis om-

nium ferme tribunalium, et cap. I et II h. J in 6, approbata habet, ut post litis contestationem, per quam reus generaliter contradicit intentioni actoris, negatque vera esse, quæ in libello per actorem judici oblato continentur; ex eodem libello extrahantur certæ, ac speciales positiones, eæque « post præstitum veritatis, aut calumniæ juramentum » (ut loquitur textus ibidem) adversario porrigantur: atque is ad singulas earum, prævio juramento de veritate dicenda (quod practici « Juramentum respondentorum appellant »), respondere jubeatur.

187. *Fiunt plerumque ab actore, quamvis etiam a reo fieri possint.* — Fiunt autem positiones plerumque ab actore qui ipsas format atque ex suo libello extractas offert reo ad respondendum: præstito tamen prius juramento (quod appellant « Juramentum dandorum », ut inquit Engel tit. *de Confessis*, n. 9) se nihil calumniose posuisse in ipsis. Quamquam nihil prohibeat, quin etiam a reo fiant positiones, ut notat Glossa magna in cap. un. *de Confessis*, in 6, et amplius dicitur § seqq. n. 218.

188. *Atque admitti consueverunt ob clariorem litium expeditionem.* — Atque hujusmodi positiones primitus sunt inventæ, et inductæ a consuetudine, seu ex usu hominum diu in causis inolito, postmodum tamen per leges et canones firmato. Speculator tit. *de Positionibus*, § 1, n. 1, Sigism. Scaccia lib. I *de Judiciis*, cap. lx, n. 3, et alii. Et quidem usus longævus admisit positiones in causis ob clariorem expeditionem litium, propter partium confessiones; ut dicitur cit. Clem. *Sæpe contingit*, § *Et quia, de Verb. signif.* Siquidem ponens censetur asserere, atque ultro confiteri omne id, quod posuit, cit. cap. ult. *de Jurejurandi*, in 6, E contra adversarius ejus, seu respondens, sub juramento interrogatus a iudice, non tam facile negare poterit singulares partes libelli, quam totum libellum, ob quamdam forsitan in eo admixtam falsitatem: unde si quasdam positiones concessus fuerit, relevabitur ponens ab onere hæc probandi, sicque facilius causa terminabitur. Quod si vero aliquis interrogatus, jussusque a iudice, ad positiones sibi oblatas absque rationabili causa respondere recusaverit, habetur is pro confesso, cap. II, *de Confessis*, in 6, sicque iterum citius causa terminabitur. Verum de hoc posteriori plura inferius num. 194 ac seqq.

189. *Positio, quid?* — Resp. II. Positio est